Kurfürstliches Gymnasium zu Cassel

GENANNT

LYCEUM FRIDERICIANUM.

EINLADUNGSSCHRIFT

zu den

am 3. 4. und 5. April 1854

im Hörsaal des hiesigen Gymnasiums

Statt findenden

Prüfungen und Schulfeierlichkeiten.

INHALT: *1) Abhandlung des Gymnasiallehrers* Ludwig Wilhelm Eduard *Casselmann: De usu particularum ἂν et κὲν apud Homerum.*

2) Schulnachrichten. Vom Director.

CASSEL.

Theodor Fischer's Buchdruckerei.

1854.

De usu particularum ἄν et κέν apud Homerum.

Commentatio I.

Viginti duo sunt anni, quum Sommerus in censura libri God. Hermanni de particula ἄν (diar. schol. 1831, II. nr. 121) particulas ἄν et κέν, quas antea promiscue ac sine ullo significationis discrimine usurpari crediderant, ut origine, ita etiam usu inter se differre docuit. Quam sententiam ille ingeniose quidem ac sagaciter, ut decebat virum, quem multis literarum Graecarum partibus lucem attulisse scimus, excogitavit; tamen illud discrimen, quod invenisse sibi visus erat, haud scio an non multis inter viros doctos probaverit. Qui contra scripserit, praeter Bauemleinum, cujus sententiam statim in quaestionem vocabo, equidem novi neminem. Subtiliter hic in libro, quem de modis linguae Graecae scripsit, de ea re egit, argumentis usus tam luculentis, ut multa eorum, quibus Sommerus sententiam suam firmare conatus esset, ab eo refutata esse, libenter concedam. Attamen si quis accuratius illa Baeumleini argumenta examinet, credo fore ut idem ei quod mihi accidat, qui, quum initio iis assensissem, repetita lectione diligenterque locis, in quibus hae particulae leguntur, inter se comparatis, non omnia quidem, quae S. dixerit, defendi posse, discrimen vero ab eo indicatum, verum esse intellexerim. Accuratius nunc quae mea sit sententia exponam.

§. 1. Sommerus, ut nunc quidem mittam ea, quae de origine ac prima particularum ἄν et κέν significatione disputavit, consociandis duobus enunciatis eas inservire dicit, quorum alterum condicionem contineat, a qua pendeat alterum, ita autem differre, ut illa indicet, posse aliquid esse, quod utrum sit, an non sit, e condicione, ad quam referatur, pendeat, hac autem condicionem illam ita indicari, ut non tam esse aliquid, si sit alterum, indicetur, sed ut illud cum hoc, tanquam sua causa cohaereat; arctius itaque

enunciata particula ἄν conjungi, κέν autem eam tantum habere vim, ut sententia cui inseratur, ex ea quae praecedat, facile oriri dicatur.

Hujus sententiae quum varia S. argumenta protulerit, ea quidem, quae ab ipsa vocabulorum diversitate, a natura linguae epicae, a collocatione particulae κέν petita sunt, ut mittam alia, quae sunt minoris momenti, recte a Baeumleino refutata esse censeo; de ceteris secus mihi videtur. Obiter unum attingam, de quo verissime S. judicavit. Mirum enim foret, si Graeci duas particulas ejusdem prorsus significatus in eodem enunciato, ne interposito quidem alio vocabulo admisissent. Nam quod B. opponit, etiam alias particulas, quibus similis esset significatio, hoc modo conjungi, ut ἦ μήν, μέν τοι, γάρ δή: non reputavit vir doctissimus, aliam esse eandem, aliam similem significationem; utque concedam, difficile esse dictu, quomodo ἦ et μήν inter se differant — quamquam differre nemo negabit — apparet tamen, eas voculas, quae nullam nisi affirmandi atque asseverandi vim habeant, non posse cum iis comparari, quae aut certum exprimant notionem, aut ei rationi, qua enunciata inter se cohaereant, designandae inserviant. Illae, quoniam animi affectionem, quae cum sententia quadam conjuncta est, indicant, non solum in Graeca, sed in omnibus linguis cumulantur; aliae autem orationis partes quomodo semel cogitari, bis enunciari possint, omnino non intelligo. Non posse hoc cum repetita particula ἄν in diversis orationis membris comparari, vix est quod moneam. Comparavit B. praeterea αὖθις πάλιν, αὖθις αὖ; sed nolo repetere, quae alii de his dixerunt (cf. Klotz ad Dev. II. p. 211).

§. 2. Antequam meam sententiam de his particulis, nonnihil a Sommeri sententia discrepantem, exponam, videndum est, num ea, quae B. de notione earum disputavit, vera sint. Vim earum, ut ipsius verba ponam, hanc esse dicit: „dass sie die Handlung als wirklich setzen." Hoc quid sit, difficile est ad intelligendum vereorque, ut ipse B. quod dixit, satis perspectum habuerit. Explicavit quidem hoc modo: „der Begriff der Setzung ist im Hauptsatze das, was die Voraussetzung im Nebensatze." At haec explicatio talis est, ut ipsa explicatione indigeat; addere enim debebat, et quid utriusque sumtionis commune esset et quomodo enunciati secundarii sumtio ab ea, quam in primario esse dicit, differat. Sumtione non utimur, nisi in eum finem, ut ad aliam rem, quae cohaereat cum illa, quam sumimus, progrediamur, quapropter illi in secundario enunciato locus est. Obscurior fit res, si huic notioni alteram illam, id quod est „wirklich" addere velis. Sumimus enim aut ea quae non esse scimus aut quae sint necne nescimus; utrisque ea quae esse scimus opposita sunt. Atqui quum sumimus, facere non possumus, quin esse aliquid cogitemus; hoc autem ab iis rebus, quas revera esse dicimus, ita tantum differt, ut non veritas rei, sed id quod potest cogitari, respiciatur. Tertiam esse cogitandi rationem, mixtam ex duabus illis, concedi non potest. Itaque statuendum erit, quod B. dicat „als wirklich setzen", aut duas notiones inter se repugnantes in se continere, si alterum vocabulum alio sensu atque eo qui in simplici verbo inest, intelligendum sit, aut pleonastice dictum esse, quum nihil omnino cogitari possit, quin esse

aut fieri cogitetur. In priorem errorem Baeumleinum incidisse, ex iis apparet quae addit: „dass von dem Standpunct der Wirklichkeit aus beurtheilt die Partikel der Objectivität „des Indicativ etwas nimmt, der Subjectivität des Optativ etwas giebt, indem sie den „ersteren Modus dem Gebiete der Subjectivität, den letzteren dem der Objectivität näher „rückt, so dass beide Modi in der Verbindung mit ἄν eine eigenthümliche Stellung zwi- „schen reiner Objectivität und reiner Subjectivität einnehmen." Addita particula objectivam indicativi naturam minui, subjectivae autem optativi aliquid addi ait. Sed ante omnia quomodo hoc fieri possit explicandum erat; non enim per se intelligitur, quid hoc sit, quod utriusque modi naturam mutari, optativum propius ad objectivam indicativi ac rursus hunc ad subjectivam illius accedere dicit. Lubrica enim res est vim vocabulorum formarumque discrepantiam ita explicare, ut ad tales notiones, quales sunt: Setzung, Wirklichkeit, Objectivität, Subjectivität revocentur, nisi eas tam accurate antea exploraveris, ut ne minimam quidem ambiguitatem relictam esse intelligas, id quod ut ab aliis ita a Baeumleino factum esse nego. Veluti in illo de quo modo dixi: „als wirklich setzen" non video, quomodo B. haec duo una notione comprehenderit. Obscurius etiam est neque ea ratione, qua B. conatus est, explicatur, quomodo haec notio, si qua sit, cum modorum notione conjungi queat. Qua de re quum alio loco dicturus sim, nunc hoc tantum addo, singulari vocabulo non videri mihi illam notionem exprimi posse. Genera enim vocabulorum, exceptis interjectionibus, quum alia certas notiones exprimant, alia notionibus accuratius de definiendis inserviant, alia notiones ac sententiae quomodo inter se conjunctae sint indicent, alia denique totam sententiam cui adduntur aut confirment aut debilitent ac dubiam reddant, omnia igitur partes sint sententiae magis minusve necessariae: nihil horum ea quam B. particulis ἄν et κέν tribuit notione declaratur; non enim ad id quod cogitatur, sed ad ipsam cogitandi actionem pertinet, cui indicandae non vocabula, sed modi verborum, nisi fallor, inventi sunt. — Sed praetermittendum non est, Baeumleinum sententiam suam, particula ἄν sumtionem significari, loco Dinarchi (adv. Dem. §. 68) confirmari existimare. Ubi quum haec legantur: *τί δὲ ἄν, τιθῶμεν γὰρ ταῦτα, ἐὰν κατὰ τὸ ψήφισμα τὸ Δημοσθένους ἀπαιτῇ πέμψας ἡμᾶς Ἀλέξανδρος τὸ χρυσίον — τί ἐροῦμεν;* verba illa quae in parenthesi addita sunt: *τιθῶμεν γὰρ ταῦτα* explicando praegresso ἄν adhibita esse ait. Qua in re egregie falsus est. Nullo enim pacto ad hanc particulam, sive eam cum sequenti verbo *τί ἐροῦμεν* conjungis, sive *γένοιτο* subintelligis, referri possunt. Hoc vel propterea fieri nequit, quod is qui interrogat non sumit. Etiamsi vero non interrogatio, sed affirmatio in apodosi esset, tamen illa verba ad membrum condicionale: *ἐὰν ἀπαιτῇ Ἀλέξανδρος* pertinerent; hoc enim ea quae sumuntur in se continet. Nec quidquam difficultatis habet quod conjunctio *γάρ* verba *τιθῶμεν ταῦτα* ad praecedentia referri jubere videtur, in his enim exspectatio sequentis sententiae mota est.

§. 3. Significatio particularum ἄν et κέν arcte cum modorum significatione cohaeret. Sed quoniam longioris disputationis est meam de his sententiam exponere, bre-

viter nunc ea indicabo quibus opus esse videtur, ut quae de particulis illis dicenda sunt intelligi possint. Omnium enunciatorum commune est, ut esse aliquid aut fieri dicatur; differunt autem inter se ea ratione, quae inter eum qui cogitat atque ipsa cogitata intercedit. Alia enim cogitata ex rebus ipsis, simulatque animum ad eas advertimus oriuntur, sive eas esse, sive posse esse intelligimus; sive ipsi excogitavimus, sive aliunde cognovimus: alia cogitandi quodam arbitrio a nobis finguntur. Quae ne perperam intelligantur, cardinem rei moneo in eo verti, utrum cum cogitatione rei simul illud, fieri eam, conjunctum sit, an nostro, ut dixi, arbitrio addatur. Priori enunciatorum generi indicativus, posteriori optativus et conjunctivus inserviunt. Ac si quaeras, quomodo id fiat, ut mens nostra in rebus versetur, quas esse ipsa fingat, facilis est responsio, causam esse duplicem, unam in voluntate atque appetendi facultate, alteram in eo positam, quod non soleamus in contemplatione rerum, quatenus ex ipsis cognitionem haurire liceat, acquiescere, sed animo nostro studium nova cogitata ex iis quae perceperit procreandi natura insitum sit. Et optata quidem ut mittam, ea cogitata, quae ad alterum genus pertinent, apparet non per se sola, sed ita tantum, ut cum aliis cohaereant, oriri posse. Debet enim causa esse cur cogitemus, quae si in re ipsa non est, non potest esse nisi in alio cogitato; quomodo patet non opinionem oriri esse aliquid, sed cohaerentiam tantum ejus quod esse possit cum alia re cognosci. Haec autem cohaerentia duplici efficitur modo, causa ac condicione. Causam dico subjectivam illam, qua alia facile ex alia sententia oritur; condicionem vero patet in re positam esse, e qua num quid fiat pendere intelligamus. Prioris cohaerentiae index est *κέν*, posterioris *ἄν*. Vides, quam haec inter se diversa sint: *κέν* ad cogitationem ejus qui loquitur, *ἄν* ad rem ipsam refertur.

Qualis sit ille nexus, quem particula *κέν* indicari diximus, accuratius definiri non potest; ea enim est ejus natura ut latissime pateat. Debere quidem ejus sententiae, quae addita particula priori adnectatur, causam aliquam esse in iis, in quibus animus noster versetur, per se intelligitur; sed ut haec certa sententia expressa esse potest, ita saepe etiam eam sententiam, quacum altera, cui *κέν* insertum est, proxime cohaerere videtur, omissam esse et particulam non ad verba, sed ad cogitata ejus qui loquitur referri videmus. Rectissime igitur S. negavit, logicam hanc esse cohaerentiam; caret enim arcto eo vinculo, quo causales, condicionales, aliae sententiae conjunctae sunt. Praeterea id quoque manifesto apparet, nunquam non particulam ad praegressam s e n t e n t i a m referendam esse. Nam quod B. dicit, multis locis eam ad antecedentia v e r b a referri non posse, ita verum esse censeo, ut ad sequentia unquam referendam esse, praefracte negem; qua de re infra. —

Condicio, quam particula *ἄν* significari dixi, nihil difficultatis habet; quae addenda sunt, ut accuratius ejus vis intelligatur, ibi locum habebunt, ubi de constructione ejus cum singulis verbi modis agetur. Illud autem apparet, neutra harum particularum significationem modorum mutari, quippe quae non ipsae iis sententiis, quibus insertae sunt, aliquid addant, sed eas cum aliis conjungi jubeant.

§. 4. Originem harum vocularum explorate cognitam velle habere non multum absum, quin temerarium judicem. Confiteor tamen, ea quae S. de hac re disputavit, cum significatione a me indicata optime convenire. Aptissime enim condicionis notionem, quae in particula ἄν inest, ex significatione praepositionis ἀνά explicavit; qua de re vide quid ipse dixerit. Altera autem particula nihil indicari vidimus nisi duas sententias ab eo qui loquitur conjungi, non etiam addi qua ratione inter se cohaereant, quae significatio facillime e conjunctiva vi conjunctionis καί oriri poterat.

Singulos nunc verbi modos deinceps persecuturus primum de optativo dicam.

De optativo cum ἄν et κέν.

§. 5. Optativo ea enunciantur, quae esse arbitrio nostro cogitamus. Quaeritur autem, num quid praeter ea quae volumus aut optamus hoc modo cogitari possit. Quaecunque enim cogitata non ex animi affectione orta ad solum intellectum pertinent, cum opinione quadam conjuncta sunt. Itaque ποιοίης qui dicit, non solum fingit aliquid, quod fiat nec ne nihil referat, sed alterum facturum esse opinatur. Patet autem, cogitationem quidem ex arbitrio nostro oriri posse, opinionem non posse, sed hujus causam aliquam esse oportere. Male igitur Baeumleinus p. 289: „Der reine Optativ bezeichnet „die subjective Setzung, welche, als auf der Willkür des Denkens beruhend, über die „eigene Meinung durchaus nichts aussagt, der Optativ mit ἄν (κέν) bezeichnet das sub-„jective Urtheil, welches die eigene Ansicht ausspricht etc.“ Quod de nudo optativo dicit, verum esset, si de usu hujus modi in membro condicionali enunciati hypothetici esset intelligendum; hoc enim, quum non plenam sententiam, sed partem tantum sententiae efficiat, concedendum est, non ipsum per se, sed una cum primario membro cui subjectum est loquentis opinionem exprimere; nunc, quum de omnibus enunciatis dictum sit, falsissimum est; ita enim cogitare fieri aliquid, ut neque fieri censeas neque non fieri, nihil est nisi halucinari. Immo nudus optativus idem significat; quod B. addita particula significari dicit. Tenendum enim est, ut illuc redeam, de multis rebus, quae num fiant nesciamus, illud tamen unde hoc pendeat nos cognovisse. Hac igitur cohaerentia perspecta, fieri quidem eas cogitare possumus, cogimur autem conjunctas cum alia sententia cogitare. Sequitur, nullum ejusmodi cogitatum sine condicione esse posse.

§. 6. Condicio autem non semper addita, sed saepissime omissa est; quod ubi fit, facile intelligi potest. Non dico de iis locis, in quibus e tota sententia qualis sit, perspicitur. Haud raro enim accidit, ut propterea aliquid fieri posse censeamus, quod nihil esse videmus, cur non possit fieri, etsi condicionem unde pendeat non cognovimus. Nam neque causas omnium rerum cognitas habemus et vero multa in plerisque quominus fiant obstare posse scimus. Sequitur haec fieri non aliter posse cogitari, quam si cum iis unde pendeant, quaecunque illa sint, conveniant. Quid hoc aliud est, quam fieri ea cogitare impleta condicione? Itaque ποιοίης est: facias, si velis, si res ita jubeat, si

fors ferat, ἀνὰ τὰ παρόντα. Alio sensu haec accipienda sunt, si notum est id, unde pendet alterum. Illud enim eventurum esse quum veri simile esse videmus, idoneam habemus causam, cur fieri hoc opinemur. Itaque ποιοίης etiam significare potest: credo te facturum esse. Haec mihi tam certa ac plana esse videntur, ut ea quae Baeumleinus contra hanc ellipsin disputavit, refutare supersedere possim.

§. 7. Solebant Graeci, ut supra docui, his sententiis particulam ἄν indicandae condicionis causa addere, qui usus tam constans est, ut etiam apud Homerum praeter eos locos, in quibus κέν legitur, non multa exempla omissae particulae reperiantur. Errant autem qui haec alio sensu accipienda esse doceant; hoc enim pro certo affirmare ausim, si quid sit discriminis, hoc in eo cerni non posse, quod nudus optativus sine condicione intelligendus sit. Est hic error viri egregii, G. Hermanni, qui (de part. ἄν p. 160) „nudo optativo opinionem sine condicione, optativo cum particula ἄν autem suspensam ex condicione aliqua opinionem significari" dicit. Optativo enim cogitationem et hanc ipsam ob causam etiam opinionem significari Hermanni erat sententia, quorum neutrum concedi potest. Repugnant praeterea huic sententiae ii loci, in quibus nudo optativo enunciatum hypotheticum additur. Unum quidem eorum, Od. VII. 314:

οἶκον δέ τ' ἐγὼ καὶ κτήματα δοίην,
εἴ κ' ἐθέλων γε μένοις·

Hermannus ita correxit, ut κέν pro τέ scriberet, sed supersunt alii, qui eodem nomine corrigendi essent. Inter eos, quos ipse H. attulit, pertinet huc. Il. XIX. 321:

οὐ μὲν γάρ τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι·
οὐδ' εἴ κεν τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθοίμην·

Adde Il. IV. 18:

εἰ δ' αὖ πως τόδε πᾶσι φίλον καὶ ἡδὺ γένοιτο,
ἤτοι μὲν οἰκέοιτο πόλις Πριάμοιο ἄνακτος·

In aliis condicio, etsi verbis expressa non est, tamen e tota sententia facile intelligitur; cf. Od. VIII. 342:

αὐτὰρ ἐγὼν εὕδοιμι παρὰ χρυσέῃ Ἀφροδίτῃ·

optatio quae antecedit: αἲ γὰρ τοῦτο γένοιτο et quae sequuntur: δεσμοὶ μὲν τρὶς τόσσοι κ. τ. λ. condicionem in se continent.

Similiter Il. XXIV. 213:

τοῦ ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔχοιμι
ἐσθέμεναι προςφῦσα· τότ' ἄντιτα ἔργα γένοιτο.

ib. X. 247:

τούτου γ' ἑσπομένοιο καὶ ἐκ πυρὸς αἰθομένοιο
ἄμφω νοστήσαιμεν, ἐπεὶ περίοιδε νοῆσαι:

Genitivis τούτου γ' ἑσπομένοιο condicio indicatur.

Permulti autem sunt loci, in quibus tantum abest, ut addito ἂν sententia incerta reddatur — hanc enim vim esse condicionis Hermannus censet —, ut certissimam eam esse appareat:

Il. I. 300:

τῶν δ' ἄλλων, ἅ μοί ἐστι θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ,
τῶν οὐκ ἄν τι φέροις ἀνελὼν ἀέκοντος ἐμεῖο·

III. 66: *ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.*

IV. 223:

ἔνθ' οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον.

XV. 69:

ἐκ τοῦ δ' ἄν τοι ἔπειτα παλίωξιν παρὰ νηῶν
αἰὲν ἐγὼ τεύχοιμι διαμπερὲς κ. τ. λ.

§. 8. Sed quod Hermannus et alii hac particula ubique id quod aliter certum definitumque esset incertum et infinitum reddi dicunt, Reisigius vero, cui assensit Baeumleinus, eam optativo additam rem quamque, quae fieri posse simpliciter per optativum dicatur, confirmare censet: utrumque et verum et falsum est. De aliis verbi formis Reisigius cum Hermanno consentit, addit enim: „contra eadem indicativo participioque et infinitivo eorum temporum adjuncta quibus non, posse fieri aliquid, sed ipsa veritas rei exprimitur, reddit dubiam magis sententiam.“ At nihil dubium redditur; neque enim veritas amplius est, quae est dubia reddita neque dubiae rei exprimendae is modus, quem veritatem significare docent, sed optativus eligendus erat. Itaque Reis. propter falsam quam de modis conceperat notionem ipse, ut ejus verbis utar, suis se laqueis irretivit. Illud quidem concedo, confirmari sententiam addita particula in plerisque locis, in quibus condicio addita non sit; inter eos vero, qui additam habent, non pauci sunt, in quibus optativus ad vim indicativi temporum historicorum prope accedat. In his quum id de quo agitur fieri negetur, nullo modo addita particula contrarium sensum efficere potest. Unum exemplum attulisse satis erit: Il. XXII. 20:

ἦ σ' ἂν τισαίμην, εἴ μοι δύναμίς γε παρείη.

Non ignorat Achilles, se Apollinem ulcisci non posse.

Condicio enim, cuicunque rei addita est, eam incertiorem reddit, si compares cum eadem re sine condicione posita, quoniam haec per se vera est neque ex alia re pendet. Contra eadem vim confirmandi habet, si hoc maxime spectatur, impleta condicione id quod ab ea pendeat non posse non fieri. Sin quaeras, utrum veri similius sit, futura esse ea quae a condicione suspensa sint, an non futura: non idem de omnibus sententiis valet, sed ex eo res pendet, utrum impletum iri condicionem suspicemur, an non impletum iri. Exempla prioris generis ubique leguntur, cf. Il. XIII. 740:

ἀλλ' ἀναχασσάμενος κάλει ἐνθάδε πάντας ἀρίστους·
ἔνθεν δ' ἂν μάλα πᾶσαν ἐπιφρασσαίμεθα βουλήν.

Polydamas Hectorem concilium convocaturum esse suspicatur.

XIV. 126:

τῷ οὐκ ἄν με γένος γε κακὸν καὶ ἀνάλκιδα φάντες
μῦθον ἀτιμήσαιτε πεφασμένον, ὅν κ' εὖ εἴπω.

Non dubitat Nestor, quin Graeci, majorum memores, ipsi honorem habituri sint. Posterioris generis exemplum jam supra attuli; adde Il. IX. 515:

εἰ μὲν γὰρ μὴ δῶρα φέροι, τὰδ' ὄπισθ' ὀνομάζοι
Ἀτρείδης, ἀλλ' αἰὲν ἐπιζαφελῶς χαλεπαίνοι,
οὐκ ἂν ἔγωγέ σε μῆνιν ἀπορρίψαντα κελοίμην
Ἀργείοισιν ἀμυνέμεναι.

XVI. 746 *εἰ δή που καὶ πόντῳ ἐν ἰχθυόεντι γένοιτο,*
πολλοὺς ἂν κορέσειεν ἀνὴρ ὅδε τήθεα διφῶν·

cf. praeterea I. 232. XXIII. 274. XXIV. 437. Od. II. 62, 76.

Neutrum indicatur, si non habes, unde esse aut non esse futuram eam rem, e qua altera pendeat, conjicias:

Il. XXIV. 296:

εἰ δέ τοι οὐ δώσει ἑὸν ἄγγελον εὐρύοπα Ζεύς,
οὐκ ἂν ἔγωγέ σ' ἔπειτα ἐποτρύνουσα κελοίμην
νῆας ἐπ' Ἀργείων ἰέναι κ. τ. λ.

Incerta est Hecuba, num in castra Graecorum Priamum proficisci jubeat, quoniam nescit, utrum Jupiter aquilam missurus sit,

Od. I. 287:

εἰ μέν κεν πατρὸς βίοτον καὶ νόστον ἀκούσῃς,
ἦ τ' ἂν τρυχόμενός περ ἔτι τλαίης ἐνιαυτόν·

Mentes, quum nesciat quale responsum Telemachus laturus sit, certi consilii auctor esse non potest.

§. 9. Fere semper autem particula in iis sententiis omittitur, in quibus altera particula, *κέν*, locum habet. Sed si quis propterea eandem utrique significationem inesse censeret, falsa foret conclusio. Quamquam enim pleraeque sententiae, si solum eam rationem, qua cum aliis cohaereant, spectes, utramque particulam admittunt, tamen unam addidisse satis habebant Graeci. Itaque si, indicata jam cohaerentia cum alia sententia una harum particularum, alteram omissam esse vides, inde ne colligas, abesse eam rationem cui exprimendae haec inserviat, sed memineris potius, in eum tantum finem, ut sententia, quae per se incerta sit, alia sententia tanquam fulcro nitisi gnificetur, utramque adhiberi, origine igitur indicata condicionem addi opus non esse ac rursus hac addita non desiderari illam. Quae ut accuratius intelligantur, de variis usus generibus dicendum est.

§. 10. Particula *κέν* non rerum, sed cogitationum cohaerentiam significari dixi. Ut enim in rerum natura omnia cohaerere nec quidquam esse videmus, quod non ab alia

re originem ducat, ita etiam cogitata nostra, excepta ea cognitione, quae ex ipsis rebus hausta est, ex aliis cogitatis oriuntur. Et hujus quidem generis ea sunt, de quibus nunc loquor, quae solo cogitandi arbitrio finguntur. Itaque particula illa qui utitur, nihil indicat, nisi cogitationem aliquam animum propter aliam, in qua versatus sit, subisse. Vides hanc rationem et inter ea esse, quae tam arcte cohaereant, ut necessario alterum ex altero eveniat et inter ea, quae liberrima cogitatione conjungantur. Itaque

1. in apodosi enunciati hypothetici, si praecedit protasis, locum habere potest. Quod ne iis, quae de significatione particulae ἂν dixi, repugnare videatur, moneo, enunciata hypothetica a causalibus ita tantum diferre, ut in his de re certa, in illis de incerta agatur; nexum autem causalem etiam condicione semper indicari. Itaque si non illud dicendum est, suspensam esse aliquam rem ex alia, sed priorem sententiae partem posterioris causam esse, non ἂν, sed κέν ponendum est. Non nego autem, haec duo tam similia esse inter se, ut permultis locis utra particula legatur, nihil differat.

Od. I. 265

τοῖος ἐὼν μνηστῆρσιν ὁμιλήσειεν Ὀδυσσεύς,
πάντες κ' ὠκύμοροί τε γενοίατο πικρόγαμοί τε.

Optat Minerva, ut Ulixes cum procis congrediatur, consecuturum enim esse videt, ut hi interficiantur; ἂν si positum esset, condicionem indicaret, qua impleta futurum sit, ut poena a procris petatur.

III. 223

εἴ σ' οὕτως ἐθέλοι φιλέειν, κήδοιτό τε θυμῷ
τῷ κέν τις κείνων γε καὶ ἐκλελάθοιτο γάμοιο

Nestor a. v. 216 inde Telemachum bono esse animo ac sperare jubet, fore, ut pater redeat, quo facto dubitari non posse, quin homines illi nuptiarum obliturі sint.

§. 11. Hic dicat quispiam, inter membra enunciati hypothetici eandem esse oportere rationem, sive antecedat id, quod conditionem in se continet, sive subsequatur. Verum est, sed quid aliud eo probatur, quam quod verba ipsa declarant, ubique altero condicionem indicari, & qua pendeat alterum? De particula κέν, quippe aliena a condicionis significatione, nihil inde colligi potest. Quae cur non possit ad membrum condicionale referri, nisi hoc praecedat, ex natura ejus, quam supra explicavi, perspicuum esse censeo. Nunc mihi probandum est, si subsequatur illud membrum, ea verba, quibus particula addita est, cum sententia, quae antecedat, aptissime conjungi. Videbis, non solum in omnibus locis — sunt antem perpauci — illud ipsum vocabulum, quocum haec vocula accentu tradito coalescat, necessario ad antecedentem sententiam referri sed hac ipsa etiam plerumque condicionem, quae deinde, ne imperfecta videatur oratio, additur, ita indicari, ut, quae sit, priusquam enuncietur, sponte appareat.

Od. XI. 373 sqq.

νὺξ δ' ἥδε μάλα μακρή, ἀθέσφατος· οὐδέπω ὥρη
εὕδειν ἐν μεγάρῳ· σὺ δέ μοι λέγε θέσκελα ἔργα·

καί κεν ἐς ἠῶ δῖαν ἀνασχοίμην, ὅτε μοι σύ
τλαίης ἐν μεγάρῳ τὰ σὰ κήδεα μυθήσασθαι·

Alcinous, quo majorem vim habeant ea verba, quibus illum, ut narrare pergeret, exhortatus est, libenter dicit, se Ulixem narrantem usque ad lucem auditurum esse. Haec posteriora verba igitur e cohortatione illa oriuntur; iis, quae addit: *ὅτε μοι σὺ τλαίης* κ. τ. λ. sententia eorum quae antecedunt: *σὺ δέ μοι λέγε θέσκελα ἔργα* repetitur.

XII. 286:

ἐκ νυκτῶν δ' ἄνεμοι χαλεποί, δηλήματα νηῶν
γίγνονται· πῇ κέν τις ὑπέκφυγοι αἰπὺν ὄλεθρον,
ἤν πως ἐξαπίνης ἔλθῃ ἀνέμοιο θύελλα.

Eurylochus, ubi ei in mentem venit periculorum, quae nocturno tempore navigantibus immineant, statim, ne perituri sint, metuit. Quoniam, inquit, venti noctu oriri solent, verendum est, ne tempestate excitata nunfragium patiamur.

XV. 435:

εἴη κεν καὶ τοῦτ', εἴ μοι ἐθέλοιτέ γε, ναῦται,
ὅρκῳ πιστωθῆναι, ἀπήμονά μ' οἴκαδ' ἀπάξειν·

Mulier fraudulentis Phoenicum verbis persuaderi sibi patitur; itaque hoc: *εἴη κεν καὶ τοῦτο* ad ea, quae illi promiserunt, ita referendum est, ut ex his ipsis consilium suum una cum illis in patriam redeundi ortum esse dicat.

XVIII. 357:

ξεῖν' ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις θητευέμεν, εἴ σ' ἀνελοίμην;

Haec verba Eurymachi ad sententiam, quam antea mente conceperat, referenda esse, jam particula *ἄρα* docet. Ulixem enim, quem mendicando victum sibi quaerere viderit, mercenariam operam, si quis eum conducturus sit, praestaturum esse, se suspicari ait.

Il. VI. 47:

πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται
χαλκός τε χρυσός τε πολύκμητός τε σίδηρος·
τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα.

Adrastus, quum patris divitias commemorat, jam antea quod nunc addit cogitatione concepit, se ab illo redemtum iri. Cf. X. 380 XI. 134.

XIII. 377:

Ὀθρυονεῦ, πέρι δή σε βροτῶν αἰνίζομ' ἁπάντων,
εἰ ἐτεὸν δὴ πάντα τελευτήσεις, ὅσ' ὑπέστης
Δαρδανίδῃ Πριάμῳ· ὁ δ' ὑπέσχετο θυγατέρα ἥν·
καί κέ τοι ἡμεῖς ταῦτά γ' ὑποσχόμενοι τελέσαιμεν·
εἴ κε σὺν ἄμμιν
Ἰλίου ἐκπέρσῃς εὐναιόμενον πτολίεθρον·

Idomeneus, quum mentionem fecerit eorum, quae Priamus et Othryoneus mutuo inter se polliciti essent, haec occasionem sibi praebere sentit irridendi virum letali vulnere ab ipso affectum; addit igitur, Graecos quoque talia promissuros esse, sententiarum nexu verbis *καί κε* indicato.

XVI. 69:

Τρώων δὲ πόλις ἐπὶ πᾶσα βέβηκεν
θάρσυνος· οὐ γὰρ ἐμῆς κόρυθος λεύσσουσι μέτωπον,
ἐγγύθι λαμπομένης· τάχα κεν φεύγοντες ἐναύλους
πλήσειαν νεκύων, εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων
ἤπια εἰδείη.

Verbis *τάχα κεν κ. τ. λ.* Achilles confirmat id, quod modo dixit, Trojanos propterea tam audaces esse, quod ipsum non esse inter pugnantes scirent.

XVII. 34:

νῦν μὲν δή, Μενέλαε Διοτρεφές, ἦ μάλα τίσεις
γνωτὸν ἐμόν, τὸν ἔπεφνες, ἐπευχόμενος δ' ἀγορεύεις·
χήρωσας δὲ γυναῖκα μυχῷ θαλάμοιο νέοιο,
ἀρητὸν δὲ τοκεῦσι γόον καὶ πένθος ἔθηκας·
ἦ κέ σφιν δειλοῖσι γόου κατάπαυμα γενοίμην,
εἴ κεν ἐγὼ κεφαλήν τε τεὴν καὶ τεύχε' ἐνείκας
Πάνθῳ ἐν χείρεσσι βάλω·

Posteriora verba *ἦ κε κ. τ. λ.* respiciunt ad id, quod ante dixerat, se fratrem occisum, cujus uxorem et liberos Menelaus patre orbasset, ulturum esse. Quum enim dolore illos affectum iri dixisset, semet ipsum interfecto Menelao solatium iis praebiturum esse addit.

XXIV. 685:

καὶ νῦν μὲν φίλον υἱὸν ἐλύσαο, πολλὰ δ' ἔδωκας·
σεῖο δέ κε ζωοῦ καὶ τρὶς τόσα δοῖεν ἄποινα
παῖδες τοὶ μετόπισθε λελειμμένοι, αἴ κ' Ἀγαμέμνων
γνώῃ σ' Ἀτρείδης κ. τ. λ.

Has sententias vides eo conjunctas esse, quod communis sit notio redemtionis.

§. 12. Transeo ad eos locos, in quibus condicio non est addita; ac primum quidem nonnullos eorum afferam, qui hac particula ita cum antecerdentibus conjunguntur, ut qua ratione cum iis cohaereant, facile intelligatur. Quae leguntur in Od. III. 365:

ἔνθα κε λεξαίμην θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ

referenda sunt ad vs. 360:

ἐγὼ δ' ἐπὶ νῆα μέλαιναν
εἶμι.

IV. 547:

σὺ δέ κεν τάφον ἀντιβολήσαις·

sequitur hoc ex eo quod dixerat, fortasse futurum esse, ut Orestes Aegisthum jam interfecisset.

ib. 595:

καὶ γάρ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἐγὼ παρά σοι ἀνεχοίμην
ἥμενος·

Telemachus, quum roget Menelaum, ne se moretur, libenter, modo liceret, se mansurum esse affirmat.

IV. 753:

ἡ γάρ κέν μιν ἔπειτα καὶ ἐκ θανάτοιο σαώσαι·

Euryclea, quum antea dixisset: *εὔχε' Ἀθηναίῃ*, his verbis, quid precibus assequi possit Penelope, addit.

V. 73 quod dicit:

ἔνθα κ' ἔπειτα καὶ ἀθάνατός περ ἐπελθὼν
θηήσαιτο ἰδὼν καὶ τερφθείη φρεσὶν ᾗσιν

sententia est admirantis loci, quem descripsit, amoenitatem.

XI. 489:

βουλοίμην κ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ κ. τ. λ.

causa indicata est eorum, quae antecedunt:

μὴ δή μοι θάνατόν γε παραύδα·

XXII. 349:

τῷ μή με λιλαίεο δειροτομῆσαι
καί κεν Τηλέμαχος τάδε γ' εἴποι, σὸς φίλος υἱός.

Phemius obtestans Ulixem, ut sibi parcat, excusationem se habere addit, qua ira illius leniri possit.

Sunt etiam loci, in quibus minus perspicua esse videatur cohaerentia, quam particula indicari dixi. Primum eos examinabo, quibus Baeumleinus contra Sommerum usus est. Qua in re apparet non hoc mihi agendum esse, ut nexum esse causalem demonstrem, quo e priore posterior res consequatur; hanc enim Sommeri sentententiam me ipsum rejicere, supra indicavi, sed ut sententias ea qua dixi ratione cohaerere doceam. Quod quum et ipsum latere videatur, nolo hos locos silentio praetermittere, qui simul variae illius rationis, qua sententiae cohaerent, illustrandae occasionem praebebunt.

Il. XIX. 415:

νῶϊ δὲ καί κεν ἅμα πνοιῇ Ζεφύροιο θέοιμεν

Quum Achilles Patrocli obitum equis exprobrasset, Xanthus, se a culpa abesse, quippe quorum velocitas non remisisset et Apollinem potius necis esse auctorem, respondet. Confirmaturus hanc defensionem addit illud, se ventos celeritate aequiparare. Respiciunt igitur haec verba ad superiora illa:

οὐδὲ γὰρ ἡμετέρῃ βραδυτῆτί τε νωχελίῃ τε
Τρῶες ἀπ' ὤμοιιν Πατρόκλου τεύχε' ἕλοντο.

XXIV. 437:

σοὶ δ' ἂν ἐγὼ πομπὸς καί κε κλυτὸν Ἄργος ἱκοίμην.

Recte B. denegat, hoc quod dicit Mercurius, se paratum esse ad comitandum Priamum usque in Graeciam, ex iis quae ante dixerit, consequi. Sed omnino hic versus cum antecedentibus non cohaeret, nisi mente addas sententiam, quae etsi verbis non declarata, facile tamen intelligitur; non enim haec recte inter se opposita sunt, quod dicit, se Achillis iram verentem pecuniam non esse accepturam, Priamo autem, quoque ille jubeat, comitem futurum esse. Patet autem hunc esse sensum: noli pecunia me sollicitare, non enim movebis; sed tibi ne opus quidem est donis, quoniam ultro te comitabor.

Od. X 268:

ἀλλὰ ξὺν τοῖςδεσι θᾶσσον
φεύγωμεν, ἔτι γάρ κεν ἀλύξαιμεν κακὸν ἦμαρ.

Nemo non videt, quod Baeumleinus contendit, posteriorem sententiam non consequi e priore, sed causam potius cohortationis illius: *φεύγωμεν* in se continere, e parte tantum verum esse. Saepissime enim id, quod consecuturum est ex re aliqua, causa esse, cur haec agenda sit, indicatur. Sic hoc loco Eurylochus, qui mortem vitaturus Ulixem ad fugam hortatur, fugiendum esse dicit, quo facto incolumes sint futuri. Itaque etiam in aliis locis hac particula causam, quam ob rem aliquid faciendum esse dicitur, additam ~~deprehendimus~~ legimus. Cum nostro loco conferantur Il. XIII. 55:

σφῶϊν δ' ὧδε θεῶν τις ἐνὶ φρεσὶ ποιήσειεν,
αὐτώ θ' ἑστάμεναι κρατερῶς, καὶ ἀνώγεμεν ἄλλους·
τῷ κε καὶ ἐσσύμενόν περ ἐρωήσαιτ' ἀπὸ νηῶν.

XVI. 40:

δὸς δέ μοι ὤμοιιν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι
ῥεῖα δέ κ' ἀκμῆτες κεκμηότας ἄνδρας ἀϋτῇ
ὤσαιμεν προτὶ ἄστυ νεῶν ἄπο καὶ κλισιάων.

XX. 366:

Τρῶες ὑπέρθυμοι, μὴ δείδιτε Πηλείωνα·
καί κεν ἐγὼν ἐπέεσσι καὶ ἀθανάτοισι μαχοίμην κ. τ. λ.

IV. 94:

τλαίης κεν Μενελάῳ ἐπιπροέμεν ταχὺν ἰόν·
πᾶσι δέ κε Τρώεσσι χάριν καὶ κῦδος ἄροιο.

Od. XII. 106:

μὴ σύγε κεῖθι τύχοις, ὅτε ῥοιβδήσειεν,
οὐ γάρ κεν ῥύσαιτο σ' ὑπ' ἐκ κακοῦ οὐδ' Ἐνοσίχθων.

cf. XVI. 153. Il. II. 12. XIII. 57.

Eadem res est, si particula ei sententiae inseritur, quae causam, indicat, unde ea, quae in antecedentibus sunt dicta, colliguntur, ut in eo loco, quem B. attulit, Il. XXIV. 563:

καὶ δέ σε γιγνώσκω, Πρίαμε, φρεσίν, οὐδέ με λήθεις,
ὅττι θεῶν τίς σ' ἦγε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν·
οὐ γάρ κε τλαίη βροτὸς ἐλθέμεν, οὐδὲ μάλ' ἡβῶν
ἐς στρατόν.

Il. III. 56:

ἀλλὰ μάλα Τρῶες δειδήμονες· ἦ τέ κεν ἤδη
λάϊνον ἕσσο χιτῶνα, κακῶν ἕνεχ', ὅσσα ἔοργας·

Huc etiam formulae quaedam loquendi pertinent, quibus utrum grata futura sit, an ingrata ea res, de qua dictum est, indicatur; unde recte se habere ea, quae antecedunt, apparet: *χαλεπὸν δέ κεν εἴη* (Od. XIII. 141) *νεμεσσητὸν δέ κεν εἴη* (Od. XXII. 489. Il. III. 410. XIV. 336. XXIV. 463) *κακῶν δέ κε φέρτατον εἴη* (Il. XVII. 105) *τὸ κεν ἧμιν ἄφαρ πολὺ κέρδιον εἴη* (Il. XVII. 417) *ὃ γάρ κ' ὄχ' ἄριστον ἁπάντων* (Il. XII. 344) *ἐμοὶ δέ κεν ἀσμένῳ εἴη* (Il. XIV. 108) *κάκιον δέ κεν εἴη* (Il. IX. 601).

Sed, ut illuc redeam, unde digressus sum, alios locos, in quibus, quomodo sententiae cohaereant, explicandum esse videtur, addam:

Od. XII. 77:

οὐδέ κεν ἀμβαίη βρότος ἀνήρ, οὐ καταβαίη.

Haec sententia ad sequentia tantum, quae ejus causam in se continent: *πέτρη γὰρ λὶς ἐστι, περιξεστῇ εἰκυῖα* referenda esse videtur; sed cohaeret etiam cum iis, quae antecedunt. Postquam enim in describendo saxo plura memoravit, quae eum qui propius accedat, terreant, ut nebulam ac caliginem, qua obductum sit: aliud addit, propter quod ne fieri quidem possit, ut quis ascendat. Itaque quum haec verba: *οὐδέ κεν ἀμβαίη βρότος ἀνήρ, πέτρη γὰρ λὶς ἐστιν* unam sententiam efficiant, qua continuatur illa descriptio: primaria ejus pars in principio posita ac particula *κέν* cum antecedentibus conjuncta est. Quae autem paulo infra leguntur vs. 83:

οὐδέ κεν ἐκ νηὸς γλαφυρῆς αἰζήϊος ἀνὴρ
τόξῳ ὀϊστεύσας κοῖλον σπέος εἰςαφίκοιτο.

e versu 80:

μέσσῳ δ' ἐν σκοπέλῳ ἐστὶ σπέος ἠεροειδές

explicanda sunt. Quum spelunca in media parte saxi esse dicatur, cujus altitudo tanta sit, ut ad coelum promineat (vs. 73), sagittam eo ferri non posse facile intelligitur.

ib. 385:

Ἠέλι' ἤτοι μὲν σὺ μετ' ἀθανάτοισι φάεινε·
τῶν δέ κ' ἐγὼ τάχα νῆα θοὴν ἀργῆτι κεραυνῷ
τυτθὰ βαλὼν κεάσαιμι κ. τ. λ.

Vetat Jupiter, Helium id, quod minetur, facere, semet ipsum enim injurias ei illatas ulturum esse.

Il. XII. 445:

Ἕκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥα πυλάων
ἑστήκει πρόσθε, πρυμνὸς παχύς, αὐτὰρ ὕπερθεν
ὀξὺς ἔην· τὸν δ' οὔ κε δύ' ἀνέρε δήμου ἀρίστω
ῥηϊδίως ἐπ' ἄμαξαν ἀπ' οὔδεος ὀχλίσσειαν.

Hoc quod dicit: οὔ κε δύ' ἀνέρε ὀχλίσσειαν cum nullo quidem eorum quae antecedunt vocubulo arctius cohaeret; sed poetae, etsi non, ut aliis locis, verbis id declaravit, ingens lapis ante oculos versatur, quales esse solebant, qui ab heroibus jaciebantur.

§. 13. Exempla a me posita id, quod supra docui, confirmant, non esse unam semper eandemque rationem, qua sententiae hac particula conjungantur. Omnia ejus genera singillatim enumerare, ut longum ac difficile propter variam voculae naturam, ita ne operae quidem pretium est. De uno tamen usu, quem epexegeticum appellaverim, pauca addam. Saepe enim posterior sententia non novam rem priori addit, sed hanc ita repetit, ut accuratius eam definiat. Fit hoc pluribus modis. In aliis locis propterea aliquid additur, ut ea, quae antecedunt, magis perspicua fiant, ut Il. III. 255:

αὐτὰρ Ἀλέξανδρος καὶ Ἀρηΐφιλος Μενέλαος
μακρῇς ἐγχείῃσι μαχήσοντ' ἀμφὶ γυναικί·
τῷ δέ κε νικήσαντι γυνὴ καὶ κτήμαθ' ἕποιτο.

Nonnunquam ejus rei, quae ante commemorata est, vivida imnago exhibetur, cf. ea, quae de vi medicaminis, quo Helena utitur, dicuntur in Od. IV. 220:

αὐτίκ' ἄρ εἰς οἶνον βάλε φάρμακον, ἔνθεν ἔπινον,
νηπενθές τ' ἄχολόν τε, κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων·
ὃς τὸ καταβρόξειεν, ἐπὴν κρητῆρι μιγείη,
οὔ κεν ἐφημέριός γε βάλοι κατὰ δάκρυ παρειῶν,
οὐδ' εἴ οἱ κατατεθναίη μήτηρ τε πατήρ τε κ. τ. λ.

In aliis exaggeratur id, quod ante dictum est, ut Od. III. 113:

ἄλλα τε πόλλ' ἐπὶ τοῖς πάθομεν κακά· τίς κεν ἐκεῖνα
πάντα γε μυθήσαιτο καταθνητῶν ἀνθρώπων.

VIII. 215:

εὖ μὲν τόξον οἶδα ἐΰξοον ἀμφαφάασθαι·
πρῶτος κ' ἄνδρα βάλοιμι ὀϊστεύσας ἐν ὁμίλῳ.

ib. 280:

ἠΰτ' ἀράχνια λεπτά, τά γ' οὔ κέ τις οὐδὲ ἴδοιτο
οὐδὲ θεῶν μακάρων.

Il. IX. 57:

ἦ μὴν καὶ νέος ἐσσί, ἐμὸς δέ κε καὶ παῖς εἴης
ὁπλότατος γενεῆφιν.

XIV. 323:

καί μοι κτήματ' ἔδειξεν, ὅσα ξυναγείρατ' Ὀδυσσεύς,
καί νύ κεν ἐς δεκάτην γενεὴν ἕτερόν γ' ἔτι βόσκοι.

XX. 211:

νῦν δ' αἱ μὲν γίγνονται ἀθέσφατοι, οὐδέ κεν ἄλλως
ἀνδρί γ' ὑποσταχύοιτο βοῶν γένος εὐρυμετώπων.

Vides, in omnibus his locis id, quod in priore sententia ut magnum aliquid atque admirandum propositum sit, quo majore admiratione qui audiunt, afficiantur, in posteriore ita augeri, ut nihil esse majus videatur.

Alii loci judicium praebent ejus qui loquitur, quo res quus describit, exornantur atque efferuntur: Il. IX. 125: Agamemno postquam dona recensuit, quae Achilli promittit, addit:

οὔ κεν ἀλήϊος εἴη ἀνήρ, ᾧ τόσσα γενοιτο.

XV. 696:

αὖτις δὲ δριμεῖα μάχη παρὰ νηυσὶν ἐτύχθη·
φαίης κ' ἀκμῆτας καὶ ἀτειρέας ἀλλήλοισιν
ἄντεσθ' ἐν πολέμῳ.

XVII. 366:

ὣς οἱ μὲν μάρναντο δέμας πυρός· οὐδέ κε φαίης
οὔτε ποτ' ἠέλιον σόον ἔμμεναι οὔτε σελήνην.

Cf. III. 392 IX. 267. IV. 429.

Denique eae sententiae huc referendae sunt, quibus contrarium eorum quae ante dicta sunt, denegatur:

Il. IX. 415:

ὤλετό μοι κλέος ἐσθλόν, ἐπὶ δηρὸν δέ μοι αἰών
ἔσσεται, οὐδέ κέ μ' ὦκα τέλος θανάτονο κιχείη·

Od. XXIII. 125:

σὴν γὰρ ἀρίστην
μῆτιν ἐπ' ἀνθρώπους φασ' ἔμμεναι, οὐδέ κέ τίς τοι
ἄλλος ἀνὴρ ἐρίσειε καταθνητῶν ἀνθρώπων.

ib. 184:

χαλεπὸν δέ κεν εἴη,
καὶ μαλ' ἐπισταμένῳ, ὅτε μὴ θεὸς αὐτὸς ἐπελθὼν
ῥηϊδίως ἐθέλων θείη ἄλλῃ ἐνὶ χώρῃ·
ἀνδρῶν δ' οὔ κέν τις ζωὸς βροτός οὐδὲ μάλ' ἡβῶν
ῥεῖα μετοχλίσσειεν·

§. 14. Venio ad eum usum particulae, quem recte Baeumleinus certissimo documento esse contendit, non indicari ea consecutionem e verbis antecedentibus. Quum enim

Sommerus hoc prae aliis argumento usus esset, ut numquam eam in initio orationis diceret collocatam reperiri, quin alia, ad quae referenda esset, verba antecederent, Baeumleinus locos aliquot attulit, e quibus factum esse id, quod ille denegaverat, luculenter apparet. Nemo jam, opinor, de hoc usu dubitabit, qui frequentior etiam est, quam ipse B. existimare videtur, si quidem non multa particulae hoc modo usurpatae esse exempla concedit. Immo sunt permulta. Haec, si vera sunt ea, quae de significatione particulae dixi, nihil offensionis habent. Jam supra enim exemplorum quae attuli nonnulla sic explicavi, ut non ad eam sententiam, quae verbis antecedentibus declarata esset, sed ad id, quod animo suo volvisset is, cujus essent ea verba, respicere ostenderem. Idem de his dicendum est. Etenim ut in illis e cetera oratione, quid tacita cogitatione adsumendum sit, intelligi potest, ita in his e tota narratione, e condicione ejus qui loquitur, ex iis verbis, ad quae respondet, facile quo referenda sit particula apparet. Nollem vero Baeumleinus ad probandum hunc usum loco Iliadis usus esset, qui legitur IX. 363:

εἰ δέ κεν εὐπλοίην δώῃ κλυτὸς Ἐννοσιγαῖος,
ἤματί κε τριτάτῳ Φθίην ἐρίβωλον ἱκοίμην.

Posteriorem horum versuum, quum mutato *ἱκοίμην* in *ἵκοιο* Socrates apud Platonem (Crit. p. 44 B) mulierem, quae in somno sibi apparuisset, recitasse dicat: Baeumleinus ex omisso priore, Platonem non ita, ut sententia ejus ex illo consequatur, intellexisse colligit. Sed docuisset vellem, quomodo hoc quod Achilles dicit, sc. si Nepturus secundum det ventum, tertio die Phthiam venturum esse, accipiendum sit, nisi ita, ut idonea tempestas causa feliciter peractae navigationis esse intelligatur. Quodsi minus apta versui a muliere allato particula videretur: nonne saepissime poetarum loci propter rerum similitudinem adhibentur, etiamsi unum vel alterum verborum, modo ne sententiae repugnet, cum re praesenti non accurate conveniat? Socrati vero num alia verba in memoriam redirent, quam quae apud Homerum legisset? Num illum versum, quod nihil se habere intelligeret, quo illud *κέν* referret, ejecta vocula mancum recitaret? Sed fortasse ipse B. nihil hoc loco probari, dudum intellexit. Nexum causalem si spectas, aptius simillimum versum attulit, qui est in Od. V. 34:

ἤματί κ' εἰκοστῷ Σχερίην ἐρίβωλον ἵκοιτο.

Nihil enim in antecedentibus dictum est, unde viginti diest Ulixem navigaturum esse, colligi possit. Duobus antem his locis inter se comparatis, unam quidem esse potestatem particulae, usum vero varium, manifesto apparet; sententiam enim prorsus eandem diversa ratione antecedentibus verbis adnexam esse videmus: in illo ad membrum condicionale, in hoc ad verba illa:

Νύμφῃ ἐϋπλοκάμῳ εἰπεῖν νημέρτεα βουλήν,
νόστον Ὀδυσσῆος ταλασίφρονος·

respicit; Jupiter enim quum antea rediturum esse Ulixem dixisset, accuratius nunc, ut recte Baeumleinus monuit, quando et quomodo rediturus sit, addit. Debebat autem tale quid

addere, quoniam antecedentibus verbis, quibus deorum vel hominum ope eum rediturum esse negaverat, exspectatio, quid id esset, quod constituisse se dixerat, erat commota.

Sed probandum est quod dixi, frequentissimum hunc usum esse; inter exempla enim, a Baeumleino allata tria tantum sunt vel quatuor, in quibus particula ad praecedentia verba referri non possit. Solet autem apud Homerum, sive poeta ipse dixisse aliquem narrat, sive is qui loquitur, se dicturum esse significat, sive alterum dicere jubet, in initio orationis optativo haec particula addi. Itaque post haec verba: *προσέειπεν*, *μετέειπεν*, *προσεφώνεεν*, *ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν* et similia ubique *κέν* positum est neque ullo loco *ἄν* cum optativo conjunctum me legere memini, nisi in sententiis negativis, in quibus paene legitimam hujus particulae sedem esse, infra videbimus. Indicat igitur is, qui loqui de aliqua re orditur, dicendi de ea initium non etiam cogitandi esse, sed ea, quae dicat, cum alia, quam animo agitaverit sententia, cohaerere. Exemplis rem illustrabo:

Od. VIII. 195:

καί κ' ἀλλός τοι, ξεῖνε, διακρίνειε τὸ σῆμα.

Quum Ulixes Phaeaces disci certamine superasset, Minerva: vel caecus, inquit, tuum discum ab aliis discernere potest; viderat enim, longe eum ultra omnes alios jactum esse.

XXI. 193:

Βουκόλε καὶ σύ, συφορβέ, ἔπος τί κε μυθησαίμην,
ἦ αὐτὸς κεύθω; φάσθαι δέ με θυμὸς ἀνώγει·
ποῖοί κ' εἶτ' Ὀδυσῆϊ ἀμύνεμεν, εἴ ποθεν ἔλθοι;

Hoc in loco quum bis particula legatur, utraque sententia eo respicit, quod hominum illorum, a quibus auxilium sibi latum iri sperat, animos explorandos esse intelligit; quapropter primum, communicaturum se esse aliquid cum iis, deinde autem id ipsum, quod scire ex illis cupit, indicat. Cf. Od. I. 390 VIII. 336. XI. 144. XV. 195. 431. 435 XVII. 561. XVIII. 357. XXII. 262. Il. IV. 94. 318. X. 303 XIV. 244 XVI. 617 XVII. 586. 629 XXIV. 56. Commode omnibus his locis explicatio nostra adhiberi potest. Monendum est antem, Graecos, quum particulam ejus modi sententiis, convenienter, ut docui, ejus naturae, addere semel coepissent, non jam de nativa ejus potestate ita cogitasse, ut accurate posteriorem e priore sententia deducerent, sed receptam eam loquendi consuetudine ubique, modo constructionis forma admitteret, in prima orationis sententia posuisse. Quam ob rem, etsi ubique ea verba, quibus addita est, ad aliam animo agitatam sententiam, quam plerumque non difficile est praestare, referre juberis, noli tamen id operam dare, ut justam ratiocinationem indicari particula aperias, cujus vis, si sic eam volumus intelligere, ut intellexit poeta ipse, sensu magis percipienda, quam ad certam notionem revocanda est.

Itaque ne illud quidem dubitationem affert, quod in nonnullis eorum, quos supra attuli, locorum eam ipsam sententiam, quae potissimum cogitatione adsumenda esse videtur, verbis declaratam eique sententiae, cujus est causa, additam videmus. Factum hoc est in iis locis, in quibus enunciatum condicionale sequitur, ut in altero eorum Odysseae loco-

rum, quos supra excitavi; cf. praeterea Il. XXIV. 57, ubi, quum Apollo de contumelia, qua Nestoris corpus ab Achille afficiatur, graviter conquestus esset, Juno his verbis respondet:

εἴη κεν καὶ τοῦτο τεὸν ἔπος, Ἀργυρότοξε,
εἰ δὴ ὁμὴν Ἀχιλῆϊ καὶ Ἕκτορι θήσετε τιμήν.

Quod concedendum esse denegat, non poterat ex alia sententia oriri quam ex ea, quae sequenti condicione indicata est. In aliis locis enunciatum causale sequitur: Il. XVII. 629. Quo loco poeta Ajacem, quem e clade Achivorum intellexisse narravit, Jovis numine Trojanos adjuvari, ita loquentem inducit, ut eam ipsam sententiae suae causam addat, quae a poeta jam indicata erat:

Ὢ πόποι, ἤδη μέν κε, καὶ ὃς μάλα νήπιός ἐστιν,
γνοίη, ὅτι Τρώεσσι πατὴρ Ζεὺς αὐτὸς ἀρήγει·
τῶν μὲν γὰρ πάντων βέλε᾽ ἅπτεται, ὅστις ἀφείη,
ἢ κακός, ἢ ἀγαθός·

Sic etiam sequente pronomine relativo: Od. XXII. 262:

ὦ φίλοι, ἤδη μέν κεν ἐγὼν εἴποιμι καὶ ἄμμιν,
μνηστήρων ἐς ὅμιλον ἀκοντίσαι, οἳ μεμάασιν
ἡμέας ἐξεναρίξαι ἐπὶ προτέροισι κακοῖσιν.

cf. Il. XVII. 586.

Eadem ratio est sententiae finalis, quae legitur in Od. XV. 430:

ἦ ῥά κε νῦν πάλιν αὖτις ἅμ᾽ ἡμῖν οἴκαδ᾽ ἕποιο,
ὄφρα ἴδῃ πατρὸς καὶ μητέρος ὑψερεφὲς δῶ.

Scilicet mirum non est, si sententiae secundariae post primariam, e qua pendet, collocatae, propterea quod in cogitando prior est, in initio illius signum aliquod ponitur.

§. 15. Silentio praeterire non possum, quod recte Sommerus monuit, hanc particulam saepissime aliis adjungi, quae posterius aliquid e priori consequi indicent, ut τῷ, αἶψα, ἔπειτα, τάχα, καί, νύ. Cujus usus quum tria tantum illa exempla attulerit, alia nonnulla illustrandae rei causa hic ponam. Legitur autem τῷ: Od. IX. 458:

εἰ δὴ ὁμοφρονέοις,
τῷ κέ οἱ ἐγκέφαλός γε διὰ σπέος ἄλλυδις ἄλλῃ
θεινομένου ῥαίοιτο κ. τ. λ.

XI. 501:

εἰ τοιόσδ᾽ ἔλθοιμι μίνυνθά περ ἐς πατέρος δῶ,
τῷ κέ τεῳ στύξαιμι μένος καὶ χεῖρας ἀάπτους.

cf. XV. 181. 537. XVII. 164 XVIII. 375. XXI. 374 XXII. 78. Il. II. 373. IV. 290. VII. 158. XIII. 57. Ut in his locis apodosi enunciati hypothetici additum est, cui praecessit condicio vel optatio, quae instar condicionis est, ita in aliis vim habet conclusivam, ut in Od. XVII. 546:

οὐχ ὁρᾷς, ὃ μοι υἱὸς ἐπέπταρε πᾶσιν ἔπεσσιν;
τῷ κε καὶ οὐκ ἀτελὴς θάνατος μνηστῆρσι γένοιτο.

Il. XVII. 486:

ἵππω τώδ' ἐνόησα ποδώκεος Αἰακίδαο,
ἐς πόλεμον προφανέντε σὺν ἡνιόχοισι κακοῖσιν.
τῷ κεν ἐελποίμην αἱρησέμεν κ. τ. λ.

Eodem modo ut τῷ additur οὕτω, cf. Od. II. 332:

τίς δ' οἶδ' εἴ κε καὶ αὐτὸς ἰὼν κοίλης ἐπὶ νηὸς
τῆλε φίλων ἀπόληται, ἀλώμενος, ὥσπερ Ὀδυσσεύς;
οὕτω κεν καὶ μᾶλλον ὀφέλλειεν πόνον ἄμμιν·

Cf. Il. XXI. 412.

Αἶψα invenies in Od. XVII. 313:

εἰ τοιόσδ' εἴη ἠμὲν δέμας, ἠδὲ καὶ ἔργα,
οἷόν μιν Τροίηνδε κιὼν κατέλειπεν Ὀδυσσεύς,
αἶψά κε θηήσαιο, ἰδὼν ταχυτῆτα καὶ ἀλκήν.

cf. ib. 561. XVII. 315. XIX. 590. Il. XIII. 486 XVI. 624. XVII. 159.

Ἔπειτα habes in Il. XIV. 77:

ὕψι δ' ἐπ' εὐνάων ὁρμίσσομεν, εἰσόκεν ἔλθῃ
νὺξ ἀβρότη, ἢν καί τῇ ἀπόσχωνται πολέμοιο
Τρῶες· ἔπειτα δέ κεν ἐρυσαίμεθα νῆας ἁπάσας.

Τάχα in Il. XVI. 70:

τάχα κεν φεύγοντες ἐναύλους
πλήσειαν νεκύων, εἴ μοι κρείων Ἀγαμέμνων
ἤπια εἰδείη·

Cf. XI. 654.

Varia est ratio conjunctionis *καί* cum hac particula conjunctae; quae nunc in apodosi enunciati hypothetici, cui praecessit protasis, usurpatur, ut Od. XI. 110:

τὰς εἰ μέν κ' ἀσινέας ἐάᾳς, νόστου τε μέδηαι,
καί κεν ἔτ' εἰς Ἰθάκην, κακά περ πάσχοντες, ἵκοισθε·

cf. XVII. 225,

nunc sententiae in antecedentibus enunciatae aliud, quod majorem habet vim, confirmandi gratia addit, ita ut significet etiam, vel:

Od. XXI. 111:

ἀλλ' ἄγε μὴ μύνῃσι παρέλκετε μηδ' ἔτι τόξου
δηρὸν ἀποτρωπᾶσθε τανυστύος, ὄφρα ἴδωμεν.
καὶ δέ κεν αὐτὸς ἐγὼ τοῦ τόξου πειρησαίμην.

Telemachus, quum mater arcum Ulixis procis praebuisset: nolo, inquit, differri certamen, quoniam et ipse arcum tentaturus sum.

Il. IV. 169:

> ἀλλά μοι αἰνὸν ἄχος σέθεν ἔσσεται, ὦ Μενέλαε,
> αἴ κε θάνῃς καὶ μοῖραν ἀναπλήσῃς βιότοιο·
> καί κεν ἐλέγχιστος πολυδίψιον Ἄργος ἱκοίμην

cf. Od. IV. 598. VIII. 195. XVII. 408 XX. 51. XXII. 138, 350 Il. XIII. 377. XX. 367 XXIV. 370. Nonnunquam graviorem quidem rem addit, sed ita, ut id, de quo ante dictum est, continuetur tantum, non etiam confirmetur. Ita si quis in enumerandis iis, quae sit facturus, primum futuro aut conjunctivo usus est, deinde mutata orationis forma, optativo narrare pergit, huic modo particulas *καί κεν* additas reperies, ut in Od. XV. 311 sqq.:

> κατὰ δὲ πτόλιν αὐτὸς ἀνάγκῃ
> πλάγξομαι, αἴ κέν τις κοτύλην καὶ πύρνον ὀρέξῃ.
> καί κ' ἐλθὼν πρὸς δώματ' Ὀδυσσῆος θείοιο
> ἀγγελίην εἴποιμι περίφρονι Πηνελοπείῃ.

Postquam dixit, in urbe se ostiatim stipem coactarum esse, Ulixis domus prae ceteris mentionem facit, quoniam non solum Penelopae nuntium laturus est, sed etiam procos propter victus abundantiam largiorem sibi cibum suppeditaturos esse sperat; addit enim:

> καί κε μνηστήρεσσιν ὑπερφιάλοισι μιγείην,
> εἴ μοι δεῖπνον δοῖεν, ὀνείατα μυρί' ἔχοντες.

ib. 449:

> οἴσω γὰρ καὶ χρυσόν, ὅτις χ' ὑποχείριος εἴη·
> καὶ δέ κεν ἄλλ' ἐπίβαθρον ἐγὼν ἐθέλουσά γε δοίην κ. τ. λ.

Praeter aurum etiam heri sui filium se abducturam esse promittit, quo vendito ingentem quaestum nautae facturi sint, quod his verbis significat: *ὁ δ' ὑμῖν μυρίον ὦνον ἄλφοι, ὅπῃ περάσητε.* cf. ib. XVI. 305.

Saepe huic conjunctioni additur *νύ* cf. Od. XVI. 220. XIX. 294. Il. V. 311. 388. Ita etiam aliae harum particularum conjunctae leguntur, ut *τάχα* et *τῷ*, cf. Od. XV. 536:

> αἲ γὰρ τοῦτο, ξεῖνε, ἔπος τετελεσμένον εἴη·
> τῷ κε τάχα γνοίης φιλότητά τε πολλά τε δῶρα
> ἐξ ἐμεῦ, ὡς ἄν τίς σε συναντόμενος μακαρίζοι.

Cf. XXI. 374. Il. II. 373; *τῷ* et *καί* Od. XVII. 546. Il, XIII. 57.

Addendum est his particulis adverbium *ἔνθα*, quo non solum locum, sed etiam consequentiam rei alicujus ex alia indicari constat; consequi nimirum aliquid ex eo, quod

loci qui commemoratur proprium est, indicatur. Et pleraque quidem exempla utramque significationem conjunctam praebent, cf. Od. XVIII. 360:

ξεῖν' ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις θητευέμεν, εἴ σ' ἀνελοίμην,
ἀγροῦ ἐπ' ἐσχατιῆς — μισθὸς δέ τοι ἄρκιος ἔσται —
αἱμασιάς τε λέγων, καὶ δένδρεα μακρὰ φυτεύων;
ἔνθα κ' ἐγὼ σῖτον μὲν ἐπηετανὸν παρέχοιμι κ. τ. λ.

Respicit *ἔνθα* non solum ad locum, quo Ulixi victum praebiturus sit, sed etiam ad operam mercenariam, quam num praestare sibi vellet, cum interrogaverat. Cf. V. 73 XII. 282. Il. IV. 539. XII. 58. In nonnullis autem locis priorem illam significationem evanuisse et nihil, nisi hoc, consequi aliquid ex antecedentibus, indicari videmus, ut in Il. VIII. 207:

εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν, ὅσοι Δαναοῖσιν ἀρωγοί,
Τρῶας ἀπώσασθαι καὶ ἐρυκέμεν εὐρύοπα Ζῆν'
αὐτοῦ κ' ἔνθ' ἀκάχοιτο καθήμενος οἶος ἐν Ἴδῃ.

Cum hoc usu adverbiorum *οὕτω* et *ἔνθα* comparari potest usus pronominis demonstrativi, sive ad omnem praegressam sententiam pertinet, ut in Il. XVII. 416:

ἀλλ' αὐτοῦ γαῖα μέλαινα
πᾶσι χάνοι! τό κεν ἥμιν ἄφαρ πολὺ κέρδιον εἴη,

sive, quod saepius fit, ad unum aliquod eorum, quae antecedunt, vocabulorum referendum est. Cf. Il. X. 380:

ἔστι γὰρ ἔνδον
χαλκός τε χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος·
τῶν κ' ὔμμιν χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα κ. τ. λ.

cf. VI. 47. X. 380 VIII. 24:

αὐτῇ κεν γαίῃ ἐρύσαιμ', αὐτῇ τε θαλάσσῃ·
σειρὴν μέν κεν ἔπειτα περὶ ῥίον Οὐλύμποιο
δησαίμην· τὰ δέ κ' αὖτε μετήορα πάντα γένοιτο.

Od. IV. 635:

ἔνθα μοι ἵπποι
δώδεκα θήλειαι, ὑπὸ δ' ἡμίονοι ταλαεργοὶ
ἀδμῆτες· τῶν κέν τιν' ἐλασσάμενος δαμασαίμην

Cf. Od. XV. 452. XVI. 153. XVII. 223. Il. XII. 447 XIV. 241.

Deniqne etiam conjunctio *ἄρα* commemoranda est; cujus quum significatio ei, quam particulae *κέν* tribui, persimilis esse videatur, praecavendum est, ne quis me utramque confudisse atque id, quod hujus sit proprium, in illam translutisse arguat. Etsi autem *ἄρα*, similiter ut *κέν*, saepissime eam duarum rerum cohaerentiam, qua posterior possit e priori deduci, indicat, nunquam tamen, ut uno verbo dicam, ad cogitationis causam, sed ubique ad rerum ipsarum nexum referendum est. Inde etiam constructionis diversitas orta esse videtur. Ac *κέν* quidem cur optativo addi soleat, e natura et modi

et particulae explicandum esse, supra docui; nescio autem, num hoc jam ab aliis observatum sit, ἄρα perquam raro cum optativo conjunctum legi; mihi quidem, quamquam sedulo quaerenti, praeter locos aliquot, in quibus interrogationi additum est, (ut in Il. XI, 838: πῶς τ' ἄρ' ἔοι τάδε ἔργα;) nullum exemplum repertum esse fateor. Itaque sic dicendum erit: in indicanda sententiarum cohaerentia, quum et indicativus et optativus locum habere possit, ea quidem differentia, quae ex ipsa modorum natura consequatur, indicativum ἄρα, optativum κέν sibi adsciscere; eadem vero de causa, qua κέν cum indicativo conjungi nequeat, ἄρα ab optativo arceri. Quomodocunque res se habet, in eo nihil miri esse videtur, quod ἄρα non est inter eas particulas, quas cum particula κέν consociari solere vidimus. Quae vero sit utriusque significatio, quae differentia, si quando conjunctae legantur, propter exemplorum paucitatem difficile est dictu. Si quid video, ex ipsa interrogationis natura sequitur, ut particulum ἄρα et in iis sententiis, quae nudum optativum habent et in iis admittat, in quibus κέν additum est. Graeci enim, quum ei, quem interrogabant, ita res esse comparatas, ut causam interrogandi praeberent, significaturi erant, fortius hoc esse declarandum sensisse videntur, quam particula κέν fieri posset, ratiocinationi, quamvis levi, indicandae parum idonea. Cf. ille Iliadis locus, quem excitavi, et Od. XVIII, 357:

ξεῖν' ἦ ἄρ κ' ἐθέλοις θητευέμεν;

quo loco Eurymachus interrogationem particulis ἄρ κε ita ad mendicitatem Ulixis refert, ut illa afflictae condicionis eum admoneat, ob quam opere mercenario ut victum sibi quaerere possit, optare debeat, hac autem, quae, quum salva sententia omitti posset, usu ita ferente, addita est, simpliciter id, quod nunc dicit, iis, quae antea animo perceperat, adnectat.

§. 16. Usum particulae, de quo hactenus dictum est, si recte explicavi, quum iis sententiis inseri eam dicerem, quae, quamquam non penderent ex aliis, tamen iis, quae antecederent, adnectendae esse viderentur: nullam sequitur ejus ponendae esse necessitatem in protasi enunciati hypothetici, quam ad apodosin referendam esse, ubique per se intelligitur. Posse tamen huic quoque addi, ex iis, quae de potestate ejus supra dixi, apparere censeo; nihil enim obstat, quin condicionis quoque cogitatio ex iis, quae antea dicta sunt, oriri possit, sive in his id ipsum, quod pendet e condicione, sive alia sententia continetur. Tam simplex ac plana haec ratio est, ut ii, qui exemplis hujus usus quae exstant, aliam eamque artificiosam explicationem adhibuerunt, quum nodum in scirpo quaererent, non potuerint non in errores induci. Baeumleinus quidem hanc loquendi rationem e constructione conjunctivi cum particula κέν ortam, in iis sententiis, in quibus objectiva hujus modi vis minuenda esse videatur, locum habere ait; mutato enim conjunctivo cum optativo, particula, quae illum comitetur, servata, id effici, ut sententia dubia magis atque incerta reddatur. Sed quid lucramur hac explicatione? Quodsi optativus particulam in talibus enunciatis non admittit, quomodo a conjunctivo ad eum transferri poterit? Sin admittit, cur ab illo modo mutuetur? Itaque hanc modorum per-

mutationem ne in iis quidem locis, in quibus a praegresso conjunctivo excusationem habere videatur, agnoscendam esse puto. Consideremus exempla: In Il. l. V, 260 Diomedes Aéneam et Pandarum aggressurus hoc dicit:

αἴ κέν μοι πολύβουλος Ἀθήνη κῦδος ὀρέξῃ,
ἀμφοτέρω κτεῖναι, σὺ δὲ τούςδε μὲν ὠκέας ἵππους
αὐτοῦ ἐρυκακέειν κ. τ. λ.

Equis igitur Aeneae quum potiri cupiat, in fine orationis, postquam de origine eorum dixit, haec addit:

εἰ τούτω κε λάβοιμεν, ἀροίμεθά κε κλέος ἐσθλόν.

Baeumleini sententia est, Diomedem, Minervae auxilio fretum, ante omnia hoc agere, ut Aeneam et Pandarum aut alterutrum saltem eorum interficiat, quamobrem hoc conjunctivo enunciatum sit: *αἴ κεν ὀρέξῃ·* alterum quod speret, fore, ut equos abducere possit, quum inde pendeat, utrum illud successerit necne, minus certum esse; dubitantius itaque hoc optativo dici: *εἰ τούτω κε λάβοιμεν;* particulam autem addi propterea opus fuisse, quod non de re ficta, sed de eo, quod agendum sit, dicatur. Sed si accuratius Diomedis verba inspiciamus, minime eum dubitare intelligemus, quin, viris interfectis, equi certa praeda futuri sint; nihil enim addit, unde de alia re, qua impediri possit, eum cogitare colligamus; immo postquam hoc dixit: *αἴ κεν Ἀθήνη κῦδος ὀρέξῃ ἀμφοτέρω κτεῖναι,* statim addit: *σὺ δὲ τούςδε μὲν ὠκέας ἵππους αὐτοῦ ἐρουκακέειν,* ita ut hoc non magis incertum quam illud esse videatur. Sed ne id quidem Baeumleino concedi potest, haec verba: *αἴ κεν ὀρέξῃ* ita dicere Diomedem, ut factum iri hoc confidat; qua in re neglexit id, quod additum est *ἀμφοτέρω κτεῖναι,* unde videmus, non de alterutro, sed de utroque interficiendo Diomedem cogitare, quod quam dubium sibi sit, versu 257 significaverat:

τούτω δ' οὐ πάλιν αὖτις ἀποίσετον ὠκέες ἵπποι
ἄμφω ἀφ' ἡμείων, εἰ γοῦν ἕτερός γε φύγῃσιν.

Nihil antem difficultatis haec verba habent. Conjunctivus et optativus propter diversam apodosin suo quisque loco recte positi sunt, conjunctivus quoniam imperativus *ἐρυκακέειν* sequitur, optativus, quoniam verba *ἀροίμεθά κε κλέος ἐσθλόν* optativum habent. Recte etiam particula se habet; pronomen *τούτω* enim, in quo accentum deposuit, ita ad ea, quae de equis dicta sunt, respicit, ut, quum nobilissimos eos propter originem esse dixisset, hanc esse causam, cur potiri iis cupiat (*εἰ λάβοιμεν*), intelligamus. Non fugit Baeumleinum, illi, qua usus est, explicandi rationi repugnare similem locum, qui est in Il. VIII, 191—196; ibi Hector equos his verbis incitat:

ἀλλ' ἐφομαρτεῖτον καὶ σπεύδετον, αἴ κε λάβωμεν
ἀσπίδα Νεστορέην — — — — — —
αὐτὰρ ἀπ' ὤμοιιν Διομήδεος ἱπποδάμοιο
δαιδάλεον θώρηκα, τὸν Ἥφαιστος κάμε τεύχων.

εἰ τούτω κε λάβοιμεν, ἐελποίμην κεν Ἀχαιοὺς
αὐτονυχὶ νηῶν ἐπιβησέμεν ὠκειάων.

Quum eadem sententia primum conjunctivo, deinde optativo enunciata sit, in versu 191 cum Aristarcho *ὄφρα λάβωμεν* legendum esse censet; addit autem, etiam *εἴ κε* ferri posse, confidere enim nunc Hectorem, se victurum esse, qui paulo infra, quum Nestoris scuti ac Diomedis loricae in mentem venisset, his verbis: *εἰ τούτω κε λάβοιμεν* cum dubitatione aliqua, sperare se, fore, ut ea capere possit, significet. Sed hunc locum non recte inspexisse videtur v. d. Verba *εἴ κε λάβωμεν* non posse de alia victoria intelligi quam de ea, quae his verbis, indicatur: *ἀσπίδα Νεστορέην* et *αὐτὰρ ἀπ' ὤμοιϊν Διομήδεος δαιδάλεον θώρηκα*, ipsa orationis forma docet; pendent enim hi accusativi e verbo *λάβωμεν*. Itaque de re prorsus eadem *λάβωμεν* et *λάβοιμεν* dicta sunt. Attulit B. praeterea hos locos: Il. IX, 135 sqq., ubi Agamemnon, postquam hoc dixit:

εἰ δέ κεν αὖτε
ἄστυ μέγα Πριάμοιο θεοὶ δώωσ' ἀλαπάξαι,
νῆα ἅλις χρυσοῦ καὶ χαλκοῦ νηησάσθω κ. τ. λ.

versu 141 addit:

εἰ δέ κεν Ἄργος ἱκοίμεθ' Ἀχαιϊκόν, οὖθαρ ἀρούρης,
γαμβρός κέν μοι ἔοι.

Dissentio cum Baeumleino, qui propterea Graecorum reditum incertiorem esse quam Trojae excidium, dicit, quod tempore hoc antecedat. Apparet enim, si duae res ita cohaereant, ut altera tum demum, si altera facta sit, fieri cogitetur, hanc, nisi addita alia condicione adstringatur, ex illa solum pendere neque eo, quod tempore posterior sit, incertiorem esse. Sic nunc in Agamemnonis oratione nihil est, unde eum dubitare colligamus, num Troja deleta Graeci in patriam redire possint. Poterat sane ei in mentem venire, incertum hoc esse propter tempestates aliaque navigationis pericula; sed cavendum est, ne quid propterea, quod per se cogitari possit, a poeta cogitatum esse dicamus. Idem valet de loco, qui legitur IX, 365. Gravior etiam error Baeumleini est, quod in his verbis (Od. VIII, 352):

πῶς ἂν ἐγώ σε δέοιμι μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσιν,
εἴ κεν Ἄρης οἴχοιτο, χρέος καὶ δεσμὸν ἀλύξας;

ubi deest conjunctivus, quocum optativus comparari possit, mente addendum esse censet: *εἴ κεν λύσω*. Quae explicandi ratio si vera esset, non nunc tantum, sed ubicunque condicionem, quae verbis declarata est, et ipsam pendere ex alia condicione cogitare possumus, adhibenda esset, unde infinita in permultis locis condicionun series oritura esset.

Similiter ad verba Adrasti in Il. VI, 49:

τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,
εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν,

hanc condicionem: *εἴ κεν ἐμὲ ζώειν ἐάῃς* mente addendam, optativo autem propterea *κέν* additum esse statuit, ne Adrastus nimis urgere precibus Menelaum videatur. Sed etiamsi adsumas illam sententiam, primaria utique haec manet: *εἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύ-*

θοιτο, quae non magni, profecto, ad persuadendum Menelao momenti foret, si hoc modo accipienda esset: parce mihi, pater enim me, simulac captum esse compererit, id quod vix credam, magna pecunia redimet. Et, ne hoc omittam, quid ponderis haec verba habebunt, si omisso *κέν*, ut leguntur ib. XI, 135, incertiorem etiam incerta illa sententia declarari cum Baeumleino dicamus? Hoc enim, quod contendit v. d., nudo optativo rem fictam, de cujus veritate ne cogitari quidem possit, addita antem particula id enunciari, quod etsi fictum sit, fieri tamen cogitetur, nemo non videt, falsissimum esse. Exempli gratia praeter alios locos haec verba Phoenicis attulit (Il. IX, 444):

ὡς ἂν ἔπειτ᾽ ἀπὸ σεῖο, φίλον τέκος οὐκ ἐθέλοιμι
λείπεσθ᾽, οὐδ᾽, εἴ κέν μοι ὑποσταίη θεὸς αὐτός,
γῆρας ἀποξύσας θήσειν νέον ἡβώοντα,

e quibus verbis contrarium potius verum esse colligas. Etenim si quem repuerascere posse credamus, quid tandem fieri posse negabimus? Quando igitur nudus optativus locum habebit? Sed etiam aliorum locorum comparatio non sine causa me Baeumleino oblocutum esse ostendet. Qui si recte diceret, non solum explicari posse hanc constructionem ea quam iniit ratione, sed etiam tam necessariam esse, ut alia ne apta quidem habenda sit, mirum profecto, videretur, quod a multis locis abest particula, in quibus e lege illa ponenda erat. In Il. XIX, 321:

οὐ μὲν γάρ τι κακώτερον ἄλλο πάθοιμι·
οὐδ᾽ εἴ κεν τοῦ πατρὸς ἀποφθιμένοιο πυθοίμην,

particulam ait additam esse, quia fieri posse cogitetur, ut ejusmodi nuntius Achilli perferatur. Compara antem Il. I, 255:

ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες,
εἰ σφῶϊν τάδε πάντα πυθοίατο μαρναμένοιϊν.

Cur h. l. deest particula? Num dubitari poterat, quin Trojani nuntium de jurgiis illis, quibus Graecorum principes inter se contendebant, accepturi essent? Immo, verisimillimum erat, eos accepturos esse. Cf. praeterea Il. XIV, 205 sqq.:

τοὺς εἶμ᾽ ὀψομένη, καί σφ᾽ ἄκριτα νείκεα λύσω·
εἰ κεῖνω γ᾽ ἐπέεσσι παραιπεπιθοῦσα φίλον κῆρ
εἰς εὐνὴν ἀνέσαιμι ὁμωθῆναι φιλότητι,
αἰεί κέ σφι φίλη τε καὶ αἰδοίη καλεοίμην.

Nihil in his verbis inest, unde Junonem suspicari appareat, fore ut id, quod ei propositum erat, ut Thetyn cum Oceano reconciliaret, parum sibi procedat. — Itaque concedi non potest, optativum in his locis particula non potuisse carere; quam quod addidit fere Homerus, ei qui reputaverit, poetas epicos interiorem sententiarum nexum particulis, quarum magna in eum finem copia utuntur, ubique fere significare, mirum non erit.

Consentaneum est, similem esse hujus usus in adnectendis sententiis varietatem ei, de qua supra exposui. Etsi enim particulae potestas ubique eadem est, alia tamen in aliis locis ratione ad antecedentem sententiam respicit. Ac simplicissima est ratio, si antecedit opodosis; declarat enim is qui loquitur, sentire se, ea quae dixerit, e condicione suspensa esse, ut in Il. I, 59 sq.:

Ἀτρεΐδη, νῦν ἄμμε παλιμπλαγχθέντας ὀΐω
ἂψ ἀπονοστήσειν, εἴ κεν θάνατόν γε φύγοιμεν

Eadem causa est eorum enunciatorum, quae ab *οὐδ' εἴ κε* incipiunt, nisi quod his antecedens sententia non restringitur, sed augetur potius ac confirmatur; Il. XXIII, 345:

οὐκ ἔσθ' ὅς κέ σ' ἕλῃσι μετάλμενος, οὐδὲ παρέλθῃ.
οὐδ' εἴ κεν μετόπισθεν Ἀρείονα δῖον ἐλαύνοι.

Sin subsequitur apodosis, eadem fere genera relationis addantecedentia, quae supra memorata sunt, agnoscimus. Aut enim causam reddit protasis, cur id quod in antecedentibus legitur, ita quemadmodum dictum est, se habeat, ut in Il. VIII, 201 sqq.:

ουδέ νύ σοί περ
ὀλλυμένων Δαναῶν ὀλοφύρεται ἐν φρεσὶ θυμός;
εἴπερ γάρ κ' ἐθέλοιμεν, ὅσοι Δαναοῖσιν ἀρωγοί,
Τρῶας ἀπώσασθαι καὶ ἐρυκέμεν εὐρύοπα Ζῆν',
αὐτοῦ κ. τ. λ.

Cf alii loci, in quibus *γάρ* additum est, ut II, 123; aut ita ad antecedentia respicit, ut haec propter eam sententiam, quae in protati continetur, dicta esse appareat (cf. Il. V, 273); aut respondentis est, antecedente verbo dicendi, (Od. XV. 545); aut repetit superiora, ut Od. II, 74 sqq.:

ἐμοὶ δέ κε κέρδιον εἴη,
ὑμέας ἐσθέμεναι κειμήλιά τε πρόβασίν τε·
εἰ χ' ὑμεῖς γε φάγοιτε, τάχ' ἄν ποτε καὶ τίσις εἴη

aut denique orationem ita continuat, ut rem aliquam addat, quae ad seriem atque ordinem eorum quae narrantur pertinere per sese intelligitur, cf. Il. IX, 141, de quo loco supra dictum est.

§. 17. Quum perventum sit ad particulam *ἄν*: repeto quod dixi (§. 6), non in omnibus locis, quibus condicio aut addita aut cogitatione addenda sit, eam adhibitam, sed tum fere omissam esse, si alteram illam sententiarum cohaerentiam, quae particula *κέν* significaretur, indicare poetae placuerit. Sed quaeritur, num casu factum sit, ut poeta nunc hanc, nunc illam particulam praeferret, an certam in ea re normam sit secutus. Illud non solum per se veri dissimile est, sed etiam locis, in quibus hae particulae leguntur, fere omnibus confutatur. Apparet autem, rationem hujus rei, quod *ἄν* in aliis sententiis additum, in aliis omissum est, non posse explicari nisi ex ipsa particulae natura, ita ut tum potissimum, si id, quod ea significetur, magis efferendum esset, usurpatam eam esse dicamus. Qua in re ab errore eorum cavendum est, qui, quum condicionem hac particula indicari animadvertissent, dubiam reddi eam sententiam, cui addatur, docuerint. Ortus est hic error e dicendi ratione minus accurata, qua me quoque brevitatis ergo usum esse fateor. Scilicet non ipsam condicionem, sed eventum ejus rei, quam ad condicionem aliquam refert, particula indicat; illud enim si urgere vis, dubiam fieri aliquam rem condicione, non potest hoc alia ratione, quam aucta vi conjunctionis condicionalis significari. Quapropter particula *ἄν*, quum iis sententiis addatur, quae, quod e condicione pendent, incertae sunt — id, quod modo optativo significatur — nihil potest

indicare, nisi hoc, tam arcte eam rem, de qua agitur, cum alia cohaerere, ut necessario ex hac evenire cogitanda sit. Itaque non condicionem, sed eventum rei urget, ut sic demum intelligamus, quatenus recte Reisigius (de part ἄν p. 99) dixerit: ἄν particulam aliquid fieri per causarum quandam cohaerentiam posse indicare; ergo optativo additam rem quamque, quae fieri posse simpliciter per optativum dicatur, confirmare. Illud autem, quod particula effici dixi, alia praeterea ratione significari solet. Observavi enim, quod memorabile est, ἄν ab Homero fere in negativis sententiis, perraro in affirmativis usurpatum esse. Hoc inde explicandum esse videtur, quod sententiae negativae, propterea quod plerumque aliis oppositae sunt, majore vi praeditae esse solent. Varia autem sunt ea, quibus negatio opponitur. Nunc enim sententia, in qua eum, quocum loquimur, esse scimus aut suspicamur, refutanda est, ut Il VIII 209, ubi Neptunus Junoni, quae deos, Graecis faventes, Jove superiores futuros esse dixerat, haec respondet:

Ἥρη ἀπτοεπὲς, ποῖον τὸν μῦθον ἔειπες!
οὐκ ἂν ἔγωγ᾽ ἐθέλοιμι Διῒ Κρονίωνι μάχεσθαι
ἡμέας τοὺς ἄλλους κ. τ. λ.

Eadem causa est eorum locorum, in quibus quis alterum, quem id quod exspectandum erat, non fecisse miratur, facturusne id sit, interrogat, ut Il. III. 52:

οὐκ ἂν δὴ μείνειας Ἀρηΐφιλον Μενέλαον;

Saepe etiam, quum fortius rem enunciare volumus, contrarium ejus negamus, Il. IX. 77:

τίς ἂν τάδε γηθήσειεν;

Pertinet huc ea dicendi ratio, quae, quum ad nomen negatio apposita est, litotes vocatur, ut Il. V. 223:

Ἔνθ᾽ οὐκ ἂν βρίζοντα ἴδοις Ἀγαμέμνονα δῖον.

Alibi non tam sententiae, quam rei negatio opposita est, ut Il. I. 300:

χερσὶ μὲν οὔτοι ἔγωγε μαχήσομαι εἵνεκα κούρης·
τῶν δ᾽ ἄλλων, ἅ μοί ἐστι θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ,
τῶν οὐκ ἄν τι φέροις ἀνελὼν ἀέκοντος ἐμεῖο.

Sed quum haec particula ita usurpari coepta esset, ut evenire aut eventuram esse aliquam rem indicaret, factum est, ut significatio rei ad condicionem relatae paulatim evanesceret nec quicquam fere remaneret, nisi illa eventus notio, quam aptissime circumscribendo hoc modo declarare possumus: fiet id, ut et in negativis sententiis: non fiet id, ut. Pro exemplo esto hic locus Iliadis quem jam excitavi I. 298:

τῶν δ᾽ ἄλλων, ἅ μοί ἐστι θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ κ. τ. λ.

Non fiet, inquit, ut aliam rem auferas. Haec explicatio tam apta mihi et conveniens particulae potestati esse videtur, ut Graecos etiam in iis locis, in quibus condicio addita est, non tam logicam enunciatorum cohaerentiam, quam vim illam, qua eventus rei efferretur, sensisse existimem.

Usum particulae in sententiis negativis pluribus exemplis, quae qui inspicere cupit, ubique reperire potest, confirmare opus non erit; de iis potius locis, in quibus eam affir-

mativae sententiae additam legimus, dicendum est, in quibus non aliam ejus vim quam in illis agnosces. In plerisque oppositio indicatur; cf. Il. IX. 417:

καὶ δ'ἂν τοῖς ἄλλοισιν ἐγὼ παραμυθησαίμην,
οἴκαδ' ἀποπλείειν.

Non solum ipse in Graeciam revertar, sed etiam aliis, ut id faciant, persuaserim, cf. VI. 329. XII. 69. XIV. 245. Od. II. 62.

Sine oppositione haec dicta sunt in Il. XXIV. 653 sq.:

τῶν εἴ τίς σε ἴδοιτο θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν,
αὐτίκ' ἂν ἐξείποι Ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν,

videmus autem vim adverbii *αὐτίκα*, quod celerem rei eventum indicat, particula augeri. Praeterea in iis sententiis reperitur, in quibus optativi significatio non multum a significatione indicativi temporis historici differt; scilicet opponitur id, quod esse cogitatur, praesenti rei condicioni. Sed hac in re tenendum est, quum indicativo temporis historici in enunciatis condicionalibus utriusque particulae potestatem convenire appareat, aoristum ac plusquamperfectum fere *κέν*, imperfectum autem, cujus rarior usus est, *ἄν* additum habere. Hoc inde explicandum esse videtur, quod in ejusmodi sententiis eventus rerum praesentium, quoniam etiam nunc nostra interest, utrum eveniant necne, majore vi efferri solet, quam earum, quae praeterito tempore fieri potuisse cogitantur. Intelligimus igitur, cur ad optativum, ubi eadem ejus ratio est, quae imperfecti, *ἄν* apponatur. Cf. Il. XVI. 747. XXII. 20. XXIII. 275. Od II. 62. Hoc autem per se intelligitur, nullam fuisse necessitatem *οὔ* ponendi. Itaque poeta, sicubi ei placuit, eam cohaerentiam, quae *κέν* efflagitat, indicare, hac particula usus est. Cf. Il. XII. 324. XXIV. 220:

εἰ μὲν γάρ τίς μ' ἄλλος ἐπιχθονίων ἐκέλευεν,
ἢ οἳ μάντιές εἰσι, θυοσκόοι ἢ ἱερῆες,
ψεῦδός κεν φαῖμεν κ. τ. λ.

Dicit Priamus, se, si a vate aliquo vel haruspice, quibus non eadem, quae diis, fides habenda sit, filium ab Achille redimere jussus esset, diffisurum fortasse fuisse. Particulae *κέν* ea est potestas, quae antecedente protasi esse solet; *ἄν* autem fortius quam esset aptum, eventum rei urgeret, ita ut fidem illis hominibus prorsus derogandam esse Priami sententia esse videretur. Plerumque unum eorum vocabulorum, quae comitari huic particulae solere supra dixi, additum est, ut *καί*, *ἔνθα*, *τῷ*, *αἶψα*, cf. Il. V. 311. XIII. 485. Od. II. 74. IX. 456 XI. 502 XVII. 315, 408 XX. 315.

§. 18. Quum talis sit potestas particulae *κέν*, ut omnibus locis apta sit, quibus sententia ex antecedentibus orta declaratur, mirandum non est, etiam in negativis sententiis non raro eam usurpari, cf. Od. IV. 223. 649. X. 383 XI. 144. XII. 107, 287 XV. 195 XIX. 590. Il. IX. 125. 267. X. 303. XII. 58. 447. XIII. 321. XVII. 149, 260, 586. XIX. 81. 90 227 XXIV. 565. Solemnis autem ejus usus est in iis sententiis, quae conjunctionem *οὐδέ*, cujus officium est alteram sententiam alteri adnectere, in fronte gerunt; cf. Od. II. 185. IV. 96. XII 77. 83. 87. XVI. 243 XX. 211. XXIII. 125 XXIV. 108. Il. IX. 126, 386, 416 III. 392. IV. 427 XII. 381 XIII. 287. XIV. 53 XVII. 366 XX. 358.

Sunt tamen loci, qui ab hac regula declinent; in quibus cur *οὐδ' ἄν* dictum sit, neminem fugiet. Cf. Il. XX. 247:

οὐδ' ἂν νηῦς ἑκατόζυγος ἄχθας ἄροιτο,

ubi *οὐδέ* significat ne quidem; XXIV. 566:

οὐδὲ γάρ ἂν φυλάκους λάθοι κ. τ. λ.

ubi idem est, quod *οὐ δή· κέν* autem propterea poni non poterat, quod haec verba ita ad antecedentia *οὐ γάρ κε τλαίη βρότος ἐλθέμεν* referret, ut *οὐ — οὐδέ* significaret neque — neque, quod ab hoc loco prorsus alienum est. In his autem locis: Il. VI. 141. IX. 372. Od. V. 177, X. 342 is qui loquitur, quum suam personam cum aliis comparet, id quod de se affirmat, majore vi effert.

§. 19. Reliquum est, ut dicam de locis quibusdam, in quibus B. *ἄν* et *κέν* promiscue esse posita contendit, ita ut diversam explicationem non admittant; mitto autem eos, in quibus, quae utriusque particulae ratio sit, facile intelligitur.

Od. II. 74 sqq. *ἐμοὶ δέ κε κέρδιον εἴη*
ὑμέας ἐσθέμεναι κειμήλιά τε πρόβασίν τε·
εἴ χ' ὑμεῖς γε φάγοιτε, τάχ' ἄν ποτε καὶ τίσις εἴη
τόφρα γάρ ἂν κατὰ ἄστυ ποτιπτυσσοίμεθα μύθῳ κ. τ. λ.,

quo in loco, quum *κέν* priorem sententiam, quae magis universa est, antecedentibus adnectat: *ἄν* iis verbis additum est, quae, quoniam id ipsum declarant, quo Telemachi animus nunc movetur, quam maxime efferenda erant.

Od. XVIII. 27: *ὃν ἂν κακὰ μητισαίμην,*
κόπτων ἀμφοτέρῃσι, χαμαὶ δέ κε πάντας ὀδόντας
γναθμῶν ἐξελάσαιμι κ. τ. λ.

De hoc loco tenendum est, si in prima plurium sententiarum, quae ita sibi succedant, ut ad unum, tanquam partes ad totum pertineant, *ἄν* positum sit, huic sententiae ceteras, quum vim particulae repetere opus non esset, altera particula adnecti solere.

Illud vero identidem monendum censeo, quum utriusque particulae sit, eas sententias, quae per se constare non posse viderentur, eo, quod ad alias sententias referantur, stabilire: saepe, si totam sententiam spectemus, nihil aut certe non multum differre, utra earum adhibeatur. Cf. hi loci simillimi inter se, quorum alter *κέν*, alter *ἄν* habet: Od. XI. 111:

καί κεν ἔτ' εἰς Ἰθάκην κακά περ πάσχοντες ἵκοισθε·

et ib. XII. 138:

ἦτ' ἂν ἔτ' εἰς Ἰθάκην κακά περ πάσχοντες ἵκοισθε.

Sed fallitur B. plurimum, qui his locis nullum esse illud discrimen probari censet. Quis enim non videt, eodem jure etiam *καί* et *ἦ τε* quidquam inter se differre negari posse? Minime autem vereor, ne mihi ipse repugnare videar, quod non solum hos, sed etiam alios locos concedo ita esse comparatos, ut utraque particula apta habenda sit.

Schulnachrichten

das Schuljahr von Ostern 1853 bis dahin 1854 betreffend.

I. Lehrverfassung.

A. Classeneinrichtung.

In dem abgelaufenen Schuljahr hatte das Gymnasium während des Sommerhalbjahrs zehn räumlich gesonderte Classencötus (I a, I b, II a, II b, III a, III b, IV a, IV b, V und VI). Hinsichtlich der Quarta wurde zu Anfang des Winterhalbjahrs unter Genehmigung k. Ministeriums des Innern die bisherige Trennung aufgehoben, so dass die Anstalt seitdem wieder aus neun einzelnen Classencötus bestand.

